



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De operibus solidæque devotionis exercitiis, quæ vel quotidie non
peraguntur, ves fusiore indigent explicatione, quomodo cum majori fructu
peragi possint

Limpens, Ferdinand

Coloniæ Agrippinæ, 1744

Sumptio.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54780)

Quiescit autem super illam manus, quia omnis crucis toleratio nititur Deo ejusque gratiâ.

In eadem oratione: *Libera nos*: dum dicendo verba hæc: *Per D. N. J. C.* hostiam divido, audio Dominum meum cum clamore valido emittentem spiritum, cogitoque animam ejus, dum hostiæ particula immittitur in calicem, descendere in limbum.

Agnus Dei cum seqq. Orationibus.

AD *Agnus Dei* audio mortuo Domino quosdam revertentes è monte Calvariæ percutere pectora sua dicendo: *Verè Filius Dei erat iste*, quod ego quoque dico. Dum orationes sequentes prosequor, Longinus Domini mei latus transfodit, è quo sanguis & aqua fluit. Ex hoc lateris vulnere teste S. August. nata est Ecclesia, ut Eva ex Adæ costa. Et hinc perappositè etiam prima oratio est pro Ecclesia.

Domine non sum dignus.

DUM dico: *Panem caelestem accipiam*, imaginor mihi, quò Christum è cruce deponam, & sacratissimum corpus ejus unâ cum Josepho Arimathæo audacter, id est postposito omni humano respectu peram & venerer. Licet per triplicem pectoris tunctionem per verba illa, ter repetita: *Domine non sum dignus*, me eo indignum profitear ob meam vilitatem, peccata, & Dei Majestatem.

Sumptio.

DUM sumo Christum, imaginor mihi eum condi in sepulchrum, Et confundor doleoque

leoque summè, quòd id novum non sit, in quo nullum adhuc cadaver, fœtens dico peccatum, jacuerit.

Ablutio, Purificatio Calicis.

IN ablutione & calicis purificatione video corpus Domini mei à piis mulieribus purgari, inungi, ablui ejus vulnera, aromatibus condiri. Et quid simile in sensu morali conabor facere. Demum dum calicem velo tegeo, id mihi significabit totam passionem esse consummatam, tempusque tristitiæ finitum. Hinc

Postcommunio.

DUm Comm. postcommunione, & ad populum elatâ voce dico: *Dominus vobiscum*, video Dominum meum gloriosè resurgentem, amcenâ ac amabili voce benedictam matrem suam, ac Discipulos salutantem dicendo: *Pax vobis, Dominus vobiscum*, & quadraginta dies cum iis conversantem.

Ite Missa est, Benedictio Evang. S. Joannis.

AD *Ite Missa est*, valedicit Christus. Ad placeat tibi *S. Trinitas*, orat pro suis ultimò. Ad *Benedicat vos*, ascendens in cælum iis benedicit; jubetque, ut se præparent ad Spiritum S. accipiendum. Ex cujus virtute toti mundo prædicaturi sint legem novam. Cujus quasi anima est *Evang. S. Joannis*, quod solet ultimò in *Missa* legi.

Atque hæc est representatio quasi historica Passionis, Resurrectionis & Ascensionis Christi. Quæ tria maximè, ut notavi suprâ, in *Missa* vult recoli *Ecclêsia*.